



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Saltzbergense I. Causa Decimarvm Sedi Apostolicae  
soluendarum, habitum anno Domini MCCCX. tempore Clementis papae V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

cium, quod idem rex fieri importune sollicitabat, damnare & improbare noluit. Cælestinum V. quem Petrum confessorem nominauit inter sanctos retulit. Ad extremum morbis exagitatus migravit e vita XII. Kalendas Maii, anno Christi 1314. cum sedisset annos octo, menses decem, & dies sexdecim. Sedes duobus annis, tribus mensibus, & septemdecim diebus vacauit. Clemens maiorum suorum secutus vestigia, legem a Gregorio latam confirmauit, & secundum Panuinium aliquid ei adiecit.

ANNO CHRISTI 1310. **CONCILIVM SALTZBURGENSE I.**

CAUSA DECIMARVM SEDI APOSTOLICÆ soluendarum, habitum anno Domini MCCCX. tempore Clementis papæ V.

**A**NNO Domini MCCCX. conuocato provinciali Concilio Saltzburgi, & proposita ibidem petitione domini Clementis papæ quinti, concordauerunt omnes in hoc quod summa decimæ duorum annorum, si qua fuerit, vel esse potuerit persoluenda, solui debeat summo pontifici in terminis infrascriptis: ita dumtaxat quod primus terminus solutionis faciendæ de primo anno, qui incipiet in isto proximo festo sancti Georgii, sit in proximo futuro festo beati Martini: & secundus terminus solutionis faciendæ eiusdem anni sit in proximo subsequenti festo sancti Georgii: & primus terminus secundi anni sit in alio subsequenti festo sancti Martini: secundus vero terminus & vltimus sit post hoc in subsequenti festo sancti Georgii: & quod decimam dabit de omnibus possessionibus, bonis, & redditibus, & beneficiis ecclesiasticis. Hæc de eis quæ beneficio-



rum intuitu possident, expensis necessariis deduc-  
tis. Necessarias vero expensas esse dixerunt, quas  
stando, colendo, colligendo & conseruando im-  
pendant, sine quibus res subsistere non potest. Et  
quod ecclesiæ, quarum reditus pro maiori vel pro  
media parte in obligationibus, legatis & testatis  
consistunt, de iisdem obligationibus legatix seu  
testati decimam soluere teneantur. Item capita-  
la, collegia, seu conuentus in communi de suis re-  
ditibus decimabunt. Item si quis ex vno beneficio  
sex marcarum argenti ponderis \* propriæ reditus  
dumtaxat, eos non decimabunt: vltra vero, si ha-  
buerit decimas, inde soluet. Aut si plura beneficia  
habuit, quæ coniuncta prædictarum marcarum  
excedant numerum, de ambabus insimul decima-  
bunt. Hospitalis vero & domus leproforum, cum  
annexis sibi ecclesiis, super quibus fundata sunt,  
decimas non præstabunt. De infirmariis, vestiariis,  
sacristiis & hospitalibus religiosorum non decima-  
bitur, nisi si vltra prouisiones necessarias de illis  
officiis exhibendas esset excessus reddituum illorum  
officiorum; tunc de illo residuo fiet decimatio  
communi decimæ apponenda. Pastores vero &  
vicarii insimul, vel quilibet pro parte sua, decima-  
bunt; ita tamen quod plene de omnibus re-  
ditibus ecclesiæ decima persoluatur. Ordinarii personas  
prouidas deputabunt, qui eandem decimam col-  
ligent & seruabunt. Et si nuntius domini apostolici  
eisdem vnum aut plures voluerit adiungere, suæ re-  
linquatur optioni. Præterea sub iuramento soluen-  
tium decima persoluatur. Item ordinarii subiectos



ANNO  
CHRISTI  
1350.

ad solutionem decimæ istius per censuram ecclesiasticam poterunt coarctare. Item decima fiat de bonis ecclesiarum, hac taxatione præmissa, vt tempus æstimationis soluendæ decimæ bladi & vini sit inter festum sancti Michaelis & sancti Martini. De caseis autem solvatur decima, sicut prælati confueverunt denaria suis rusticis loco caseorum recipere, in festo sancti Georgii secundum ius & terræ consuetudinem.

CONCILIVM SALTZBURGENSE II.

QVO STATVTA QVÆDAM POENALIA  
declarantur, anno Domini MCCCX. celebratum tem-  
pore Clementis papæ V.

DECLARATIONES STATVTORVM IN

*Concilio prouinciali domini Conradi archiepiscopi  
Saltzburgerensis, anno MCCCX.*

PRÆFATIO.

**N**os Conradus Dei gratia sanctæ Saltzburgerensis ecclesie archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, Vvernhardus Patauiensis, Ioannes Brixinensis, Henricus Gurcensis, Albertus Chymensis, Fridericus Secouensis, Vvernhardus Lauentinenfis, ecclesiarum episcopi, in hoc sacrosancto prouinciali Concilio Saltzburgerensi congregato, de consilio & consensu procuratorum venerabilium Frisingensis & Ratisponensis episcoporum, plenum ad hoc mandatum habentium, ac assensu prælatorum Saltzburgerensis prouinciæ in hoc Concilio aggregatorum, nec non procuratorum assensu, huius sacri approbatione Concilii, quædam statuta poenalia priorum prouincialium Conciliorum ex certis & legitimis causis, vt animarum periculum caueatur, taliter duximus moderanda.